

06.42/3

195

1928 K 944

831

18

DE
JUDICE

IN ALMA LEUCOREA

PRÆSIDE

M. ADAMO EZLERO

SILESIO,

Ex politicis disputabit publicè

GOTTFRIDUS ERICUS BERLICHIIUS,

Lipsiensis,

Ad d. XIII. Julii A. M. D. C. L.

Ante meridiem in Auditorio Phi-
losophorum.

è Typographia

JOBI VVILHELMI FINCELII.

1650


W. H. H. H. H.



131 832

DE
IUDICE
IN ABRAHAM
ADAMO EXI
DOCTORE





I. N. J.



Non ignobile JUDICIS nomen est in iis, qui curas suas conferunt in publicum, atq; ut communis felicitas ab Imperantium folio commodè derivetur in parentium casas, pro viribus annuntur. A dicundo autem jure seu judicando obtinuerunt appellationem, quod per hos suum reddendum cuivis est. Propterea & *Justitia Sacerdotes* vocantur, quod huic dictum omne eorum studium est, nec Judicis meretur nomen, ex Etymologiarum Magistri sententiâ, in quo non est *Justitia*.

JUDEX.

Isidor, l. 18. orig. c. 15.

EST.

II. Fuisse verò jam olim, esse hodiè, & futuros perpetuò in Rebuspubl. hos Jurium dispensatores, in aprico est adeò, ut prolixâ non indigeat expositione. Scilicet frustra videtur Legum sanctio omnis, nisi sit, qui examinet dicta & facta Civiu, intermineturq; pœnas sanctimoniam earum vel migrantibus vel susq; deq; habentibus.

III. Atq; *Ebraeorum* si ingredi lubet Tribunal, non septuaginta tantum *senes* illos spectabimus, sed & *chiliarchos*, *Centuriones*, *Quinqwagenarios*, *Decuriones*, alios rebus levioribus cognoscendis destinatos. Nemo nisi infans in his literis sit, *Græcorum* ignorat *Ephoros*, *Areopagitas*; *Ephe-tas* item singulari probitatis opinione commendatos. Apud *Turcas* judicat de causis summus eorum Sacerdos *Calde-lescher*, quem ferè ætate gravem, & juris, pro captu barbariæ, gnarum habent. à quo ad *Mophti* appellatio conceditur, qui etiam in dubiis *Caddy* sententiam exquirat. E Romanâ historia noti sunt *Prætores*, curulis sellæ infessores, qui dicundi juris causâ facti sunt, quod Consules avocarentur sapius, ne jus dicere poscentibus possent. Quamquam & in bella missi deinceps sint, ususq; obtinuerit, ut non minus Prætores quam Consules Provincias fortirentur: in quibus post Prætorem quoq; jus dixit *Legatus*. Accensendi, si opus, erunt his *Centumviri*.

Althus. polit. XXIX. 59.

Ad. à Conzen. Pol. L VII. c. 23.



tumviri, Decemviri, Quinq; viri, Triumviri, Duumviri, quorum alii de stlitibus, alii de maleficis & abjectæ conditionis hominibus, de perduellione, exilio, aliisq; de rebus alii habebant judicandi potestatem. Nostro ævo *Camera Augusta Judices* nobilitate partim, partim eruditione & honoribus Academicis insignes: *Curiarum* item *Regiarum, Electoralium & Principalium Assessores* sat confirmatam dant sententiam nostram.

PERSONA.

IV. Quare etiam propius accedimus ad ea, quæ instituti hujus sunt, tribuimusq; Judicis munus illi, qui capax est publicæ functionis, potestq; vicarias locare operas Majestati, à quâ hunc in finem deligitur.

V. Perplura sunt autem, quæ Politici exigunt hîc, providentes sedulo, ut per hunc canalem derivetur rectè in singulos salus omnium. *Virum* volunt, non fœminam mobilem, cujus nec emolliatur lacrumis Severitas, nec frangatur perferendorum mole constantia. Nec enim immunis hæc Sparta erit à litigantium contumeliis, importunis querelis, postulationibus parum æquis, laboribusq; infinitis, contra quos obfirmandum pectus diligenter est. Quî verò hoc sperare licebit à fœmineo animo? Ducitur affectibus, indulget vitiis, fluctuat, & ex sede suâ dejicitur facile, uti *magno studio contra cæsaries vento turbatur exgiuo*. Rara sunt exempla *Liviæ, Pulcheriæ Isabella* naturam suam supergressarum, ac quæ facile superari possunt earum numero, quæ vindictæ cum *Aloysia Sabaudâ* appetentiores sunt, quàm prudentiores: *quibusq; cuncta alia sunt præter animum*, (*honestum* quidem non dicam, quod de *Sabinâ* ait *Tacitus*, sed) *virilem*.

Francisc. Petrarch.

Matth. Bernegg. quæst. miscell. in G. Tac. Germ. & Agric. q. 44.

Thuan. l. i. Ann. XIII. 45. Alexand. ab Alexandro Gen. dier. l. IV, c. 6.

Nazar. Panegy. Constantin. c. 16.

VI. Altera ætatis est cura. Quæ in eo qui de nutricis genibus nudius tertius profiliit, prætextamq; nondum deposuit, Prudentia? Quæ in Sene decrepito alacritas fit ac vigor? Definita quidem apud veteres fuit legibus ætas, cui aspirare liceret ad certos publicæ dignitatis gradus, & per Legem Juliam non poterat esse judex, qui minor annis viginti erat: Verùm cum nec tum temporis morosius computati sunt anni, ubi ætatem prævertebat Ingenii maturitas, causâ non est, quare hodiè *in festinatione Virtutis expectemus ætatis cursum*. Potius *iniquum*

062 835
iniqum existimamus, cum honori nondum tempestivum videri,
qui jam Virtuti maturus est.

Val. Max. III,
1, 1.

VII. Plus momenti positum erit in iis, quæ intus nobilitant atq; illustrent dotes. Si assit Ingenii acumen, quod & præceptionibus salubribus, Juris in primis publici ac privati notitiâ imbutum sit ac firmatum experientiâ, est omnino, unde optima quæq; polliceamur nobis. Misere sapiunt, qui alieno pectore sapiunt; nec dignoscunt recte lites, qui harum momenta non intelligunt ipsi. *Aristonem* velim aliquem, quo nihil gravius, sanctius doctius. qui acri magnoq; iudicio ab origine rationes causarum queat repetere, discernere, expendere. Non enim immunis ab errore omni est, qui cogitur facere quædam ante, quam norit: Ineptus autem prorsus ad hanc provinciam, qui rectæ rationis usu caret.

Plin. l. I, ep.
22. & VIII. ep.
14.

VIII. Cæterum in quos propendeat mores animus, dispiciendum omnino est, cum exuere naturam existimandus non sit, cui alimenta subicit data ad votum occasio. Spectata **JUDICIS** deligendi probitas esse debet, ne si abreptus cupiditate, secus utatur permisa sibi potestate, ipsaq; Civitatis fundamenta subvertat. Veterum ea cautio fuit, orta q; inde opinio, non reperiri posse Judicem, qui non & Vir bonus sit, ut Judicis etiam nomine uterentur, cum Viri boni notas enumerando velent percensere. Si quidem & suspicio omnis sceleris abesse debebat à moribus Judicis. nec poterat agere Judicem, qui motus à senatu & notatus crimine erat, licet ei ad alios honores, ipsorumq; Censorum dignitatem pateret aditus, cum emendasset vitam, & ad meliorem frugem se recepisset.

Muret. Orat.
XVIII. vol. 1.

IX. Decoram faciem & corporis proceritatem, uti Venerationis plurimum acquirere concedimus: ita anxie fortuita ista & inania, veluti vocantur quibusdam, non quærenda hinc loci statuimus. Monstro tamen horrendo propterea non aperimus ostium, sed vetitum ei dicimus tribunal æquè ac muto & Surdo, de quibus & nunc dicendum est aliquid. Nimirum non postrema pars muneris judiciarii est audire & cognoscere litigantium causas, interrogare multa, ac plenâ inquisitione rerum ordinem discutere. quæ omnia cum ab istis hominibus fieri haut queant, mirum non est, quod ad hoc fastigium diffi-

Plin. l. I. ep. 6.

238 836

cilis illis est aditus, vel etiam nullus. Cæcis benigniores videntur & leges & nonnullorum rationes. Quibus & in subsidium venit *Arcopagitarum* exemplum, qui rectius judicabant sub noctem & in tenebris, quos transversos egerat ante plenior oculorum usus. Nolumus igitur & nos eos exclusos prorsus; Commodius tamen posse res expediri ab eo, qui intueri potest & vultum habitumque; disceptantium, & cæterarum, de quibus lis est & controversia, rerum faciem, asseverare minimè veremur.

X. Antequam discedamus hinc, de pauperibus & nostram ferimus sententiam. Suspensione non caruerunt hi apud veteres jam tum. Metus erat, nè tam rationem muneris sui, quam magnitudinem munerum alienorum considerarent: nè libentius in munerum, quam in argumentorum, quæ utrinque; afferrentur, ponderibus expendendis occuparentur: & utrius gravior esset manus, ejus causam quoque; meliorem videri pronunciarent. Quæ causa est, quod nec consultum putetur hodiè, eos promiscuè judicandi muneri præficere.

PUBLICA.

XI. In publico nunc volumus conspicuum nostrum JUDICEM. Nec enim cum iis nobis res est, qui in privatis versantur judiciis, aut ab utraque; controversantium parte deliguntur Arbitri. Commune hoc habent eque;dem cum Nostro, quod finè & ipsi possunt imponere controversiis: dispari tamen autoritate, nec eà certitudine, quam de JUDICE pollicetur jurisjurandi religio, maximum & sanctissimum, quo obstrictus est, fidei vinculum. Quare Cordubensium Philosophus rectè: *Melior videtur conditio causæ bonæ, si ad Judicem, quam si ad arbitrum mittitur: quia illum formula includit, & certos, quos non excedat, terminos ponit: hujus libera & nullis astricta vinculis religio & detrabere aliquid potest, & adjicere, & sententiam suam, non prout Lex vel justitia sœadet, sed prout humanitas, aut misericordia impulit, regere.*

1. 3. de benef.
c. 7.

XII. Interest autem Reipubl. omninò, esse publicos hos Justitiæ Præsides, ut dediscant agere propudiosam vitam maleferiati homunciones, cæteri que; prohibeantur, nè tentent paria, cum intelligunt se revocatum iri mox ad subsellia, ubi ratio



tio danda commissorum vel omissorum. Observat in Karthagi-
nienfibus circumfpectionem hanc *Justinus*, quando ait, *dele-* l. XIX, 2, 6.
ctos fuisse *centum ex numero senatorum JUDICES*, qui reversis
à bello ducibus, rationem rerum gestarum exigent, ut hoc metu
ita in bello imperia cogitarent, ut domi *Judicia legesq;* respice-
rent. Quin & *Judices ipsi tractant se sanctius in rerum dijudi-*
catione, dum in luce publica, atq; inspectantibus omnibus, exe-
qui se officii sui partes, subindè recordantur.

XIII. Proprium verò locum *JUDICI* assignamus inter offi-
ciales, seu ministros *Majestatis*, à quâ in curarum partem assu-
muntur. Huic itaq; debent potestatem, quam habent,
non absolutam sed legibus definitam. Hujus modi apud Sco-
tos Lex est: *IN. PROFANIS. REBUS. NEMO. JUS. DICIT-*
TO. NISI. QVEM. JURI. DICUNDO. MAJESTAS. RE-
GIA. PRÆFECERIT. SOLIUS. REGIS. NOMINE. JUS. O-
MNE. REDDITOR. CONVENTUS. JUDICANTOR. CON-
CILIA. CONVOCANTOR. NE. QVIS. ALIA. QVAM. RE-
GIA. AUTORITATE. JUDICIA. OBTINETOR. At de
Principe quid fiet, aut eo, cui summa rerum concredita est?
Anne propterea ad Eos haut spectat *Justitiæ administra-*
tio? Sed spectat utiq; *debetq;* contendere enixè *Princeps ut justè*
administret Imperium, plectendo pro meritis improbos, bonos pro-
bosq; conservando. Nam *indulgere omnibus omnia, non boni ac*
clementis est, sed ignari ac segnis. Itaq; *Sanctitatem legum asseret,*
non modò in aliis, sed in se ipso quoq;. Non quod *alligatus iis sit, sed*
ut exemplo sit, posse fieri, quæ præcepit.

HABENS Po-
TESTATEM.

Dempster.
Rosin. Antiq.
Rom. l. IX.
Paralip. p.
1503.
CL. Buchner
orat. de prin-
cipatu Galbæ.

XIV. Verùm ne hæc per alios quoq; fieri posse objiciat quis,
producimus exépla *Regum Principum* ve *judicandi munere* nõ
negligenter defunctorum. Non ponam autem in hunc nu-
merum Inferorum Minoem, & in proverbium cum securi suâ di-
gressum Tenedium Judicem, aliosq; qui *fictionis rei* possent ar-
gui: Satis firmatam dabit sententiam hanc *Julius Cesar*, qui
laboriosissimè ac severissimè jus dixit, interpellatus aliquando si-
mili in negotio à *Servii Galbæ temeritate.* Et felicissimus Cæ-
sarei parricidii *Vindex & assertor Imperii singularis, Augustus,*
Jus dixit assiduè & in noctem nonnunquam, si parum corpore va-
leret,

C. Sveton. in
Jul. c. 43.
Val. Max. l.
VI. c. 2. tit. 11.
Svet. August.
c. 33.



Id. c. 72. leret, lectica pro tribunali collocata vel etiam domi cubans. Nec in urbe modò sed & ruri. Ex secessibus præcipuè frequentavit *maritima, Insulasq; Campania, aut proxima urbi oppida. Lanuvinum, Præneste, Tibur, ubi etiam in porticibus Herculis templi J U S* persæpè dixit. *Mithridatem* hodiernosq; gloriosissimos Reges brevitatis studio taciti præterimus.

XV. Id tamen nullatenus negligendum videtur hîc loci, non temerè subeunda esse Principi Judicia. Jis interesse licebit causis præcipue, ubi clementiæ est locus. A reliquis abstinendum potius (quod & Ægyptiorum Regibus datum erat olim consilium) ne civium delectari cruore videatur Princeps, & in odium mutet suorum benevolentiam, tutissimum Principatûs præsidium ac fulcrum. Non dubitarem asserere Prudentiæ hujus specimen datum ab *Alexandro* fuisse quod ferali in *Philotam* sententiæ noluit inter esse, sed excessit concione, ut amoliretur odium exercitus, si quid gravius designatum fuisset se præsentè in Ducem, militibus non usq; adeo exosum.

Curt. VI, 9, 36. Annal. I. Germanici certè Prudentiam hanc in rem observavit *Tacitus*, quem condemnare noluisse milites seditiosos, sed exercitui judicandos dedisse differtè asserit. Et ut suspicionem etiam crudelitatis amoveret à se longè *Titus*, ac puras servaret manus, Pontificatum maximum ideò se professus est accipere, teste *Svetonio*.

XVI. Inter Imperii initia autem hoc præcipue attendendū erit. Nil crebrius commèdatum commendandumq; est novum regnum inchoantibus quàm clementiæ fama. Populus molliter ante habitus, non ad duriora vertitur feliciter, cum nec bonis initiis tutò credatur, Virtusq; etiam solida nova tamen & insignibus experimentis nondum supra invidiam & obtreccionem enisa difficulter admodū illiciat Ingenia & sui amore imbuat. Tulerunt erroris hujus pœnas cum *Galbâ* alii quoq; Imperatores. Et *Pertinaci* exilio fuit vel unicum verbum *MILITEMUS*.

XVII. Moram faceffunt hîc nobis illi, qui è Christianorum confinio sublato volunt judicandi munus. Nescio enim quo moti religionis Zelo, Pietati affingunt adversas has partes, quas

Scipio Ammirat. differt. Polit. I. 1. disc. 8. & 1. 20. c. 7.

Tac. Hist. I. c. 6. & 7.

Jun. quaest. pol. 80.

quas & subire Deus noster gloriosus, & injungere insuper voluit sanctis hominibus. Non est igitur, quod falsis scripturarum interpretamentis inducamur eò, ut deseramus aut exferemur id, quod & licitum perse satis est, & ad Imperiorum tranquillitatem facit quàm maximè.

XVIII. Satius erit, explicare uberius muneris hujus n- COGNO-
meros omnes, atq; ita absolvere tandem has operas. Palma- SCENDI.
ris autem Judicis cura erit, ut cognoscat rem, super quàm mota FERENDIQ.
lis est; altera ut certam de eà proferat sententiam. Hi carce- SENTENTI-
res intra quos decurrendum Judici, hæc meta, ubi subsisten- AM.

XIX. Decenter tamen omnia, & prout fas est & æquum. LEGITIME.
Audienda utraq; pars; occlusaq; sit & fervetur integra reo auris, Plutarch. A-
dum accusatori patet altera, quod in Macedonum Rege com- lex.
mendant historiæ. *Objecta crimina non pro approbatis accipienda* Plin. ep. 14.
statim. *Inauditi siquidem atq; indefensi tanquam innocentes* I. II.
pereunt. Hinc apud Tragicum Medea in cæteris haut bona, Tac. Ann. III,
benè canit qui *statuit aliquid parte inauditâ altera, æquum licet* I. Hist. 6.
statuerit, haut æquus fuit. Atq; patientiâ opus quidem erit Med. v. 200.
maximè. Distringitur sæpe Judex exilibus causis, & quæ exer-
cent magis quàm delectant. Surgunt audaces non rarò caus-
fidici, & stentoreâ voce sunt molesti: Quibus nisi faventè præbe-
as aurè, audies cõfestim, quod *Philippo* objiciebatur, ab aniculâ
cui audiendæ sibi esse otium negaverat; ne regnes igitur, si au-
diendis ac dijudicandis causis vacare nolis. Taxat hanc Judi-
cû negligentiam Plinius notabiliter in iis, qui suo tẽpore finire
maluerint quàm judicare; Suoq; exemplo inculcat id, quod
hujus loci præceptum est, quando scribit: *Equidem quoties* I. VI. ep. 2.
judico, quod vel sæpius facio, quàm dico, quantum quis plurimum
postulat a quæ do. etenim temerarium existimo, divinare quàm spa-
ciosa sit caussa inaudita, tempusq; negotio finire, cujus modum igno-
res: præsertim cum primum religioni suæ Judex patientiam debeat,
quæ pars magna Justitiæ est. Et Cicero cû *Quinctio* Fratri præce-
pta dat administrandæ provinciæ, *adjungendam facilitatem in-*
audiendo, in satis faciendo, ac disputando diligentiam, monet.

XX. Non præcipitanda etiam judicia sunt, quibus nihil
B inimi-



inimicum magis, ac festinatio nimia. Quod si enim in universum nihil patrare debet Vir prudens, cuius poeniteat tandem: multò minus Iustitiæ Sacerdotes prophanter agere decet, undè in errores lapsus est facilis. Nec paucos reperimus, etiam ex sanctissimo Regum numero, hujus moniti perquam memores. Recensere singulos instituti nostri non est, cum & legere exempla horum liceat, apud Doctores Politicos passim. Omnium loco *Spartanorum* commendanda gravitas est, quam nec historicus prætereundam sibi duxit. Tradiderat *Ephoris* epistolam *Pausania Argilius*, ex quâ intelligi facile poterant, quæ in Patriæ exitium meditabatur perfidus Dux; sed, ne hujus quidem indicio impulsus sunt, ut *Pausaniam* comprehenderent, neque prius vim adhibendam putaverunt, quam se ipse indicasset. Tum verò, ubi callido suo consilio eo pertraxissent *Pausaniam*, ut fateretur ipse delictum, ejusque ab *Argilio* deposceret veniam, satius duxeruntprehendere proditorem, nè publicæ salutis viderentur negligentiores.

XXI. Affine huic est de credulitate nimia monitum. Non hodiè demum nata, sed longâ jam seculorum observatione roborata nonnullorum consuetudo est, struere crimina in viros etiam bonos, vel structa adornare, ac per speciem legitimæ accusationis pravo nocendi proposito & spe præmii in iudicio invidiosè magis quam verè & pro merito causæ exagitare; quibus si aurem non tantum facilem sed & mentis assensum commodet iudex, admittet in se crimen, quod à sanctitate

te ejus longè debebat remotum esse. Incusatus ita olim *Marcellus* est ab Hispone, qui occultis libellis *sevitia Principis adrepere*, & clarissimo cuique periculum faceffere, gloriæ ducebat. Præmium fuit idem *Orsines*, nobilissimi *Persarum*, nec insontis modò, sed eximie quovque benignitatis in Regem. Subornati nempe qui falsis criminibus occupabant credulas Regis aures, concitabantque animum ejus in iram; Quod quidem difficile non erat apud eum, qui secundis rebus commutatus erat adeò, ut præceptus esset ad representanda supplicia; idem ad deteriora credenda, qui tamen paulo ante *Lyncestem Alexandrum delatum à duobus indicibus damnare non sustinuerat*. Non melius autore inventum *Sulla* fuit, ac

Corn. Nepos
Pausan. 17, 4,
3, seqq.

Tacit. I. Ann.
74.

Curt. X, 1, 38.

Id. X, 1, 39.
VII, 1, 6.

benè sit, & Dii atq; Demones favcant, itemq; meis omnibus cum amicis, tum universo generi & familia, in perjurio verò ne deprehendar unquam.

Diod. l. 1.
Plutarch.

XXIII. Amuneribus abstinere manum etiam per Leges jubentur Judices, sed diversum suadet multis auri sacra fames, quorum ad aedes ponendae statuae & imagines Justitiae sine manibus, quales *Thebanorum* fuisse historica scimus fide, ut mox neantur cottidie ab accipiendis muneribus alienos esse oportere.

XXIV. Cum laude proin obibunt partes suas Judices, qui observatis iis, quae dicta sunt, ad Legum praescripta examinant causas, sententiamq; pronunciant. Haec Judici data amissa est, ad cujus ductum formanda ei omnia, nisi egredi ac transilire limites & parum obsequentem se praestare velit. Arbitrio tamen atq; aequitati locus erit, si pugnat cum honestate rectaque ratione Lex, aut non omni ex parte est manifesta.

XXV. De actis & probatis non levis movetur difficultas, quibus insistere debere Judicem volunt plerique. Et potest etiam id optimo jure, si diligenter omnia examinata sint. Verum ut conscientiae inurat stigma, ubi fraudis aliquid subesse apparet, asserendum id vix arbitramur. Inferior si est Judex ad superius tribunal remittere potest causam commodè, adeoque

Hornej. Phil.
Mor. l. 4. c. 4.
de prud. Judiciaria.

superioris Judicis aestimationi relinquere, quam suo juvare potest testimonio. Caetera in conflictu data occasione discutientur.

Polyæn. l. 4.
Stratag.

XXVI. De *satisfactione, litis contestatione*, aliisque ad legitimum Judicium requisitis agere nobis non sumimus, sed ad forum aliud rejicimus. De *Loco ac Tempore* placet addere pauca antequam finiamus. Ac ille quidem non splendidus adeo semper esse debet, qualis *Alexandro* fuit, ut *species etiam illa veneranda metum barbaris incuteret*: honestus tamen, & in quo salva imperii majestate dicere jus licet. Propterea & Leges nolunt litigantes vocari a Judice in lupanar, aliaq; inhonesta loca, quò citati etiam si non compareant, a contumaciae pena sunt immunes. Nempe a loci sanctimoniâ aliquid venerationis conciliare voluerunt Judiciis Veteres, qui in *basilicis, Templis,*

Demster. Ro-
sin l. IX.
Paralip. p.
1504.

parti-



porticibus & præterea subdialibus locis, unde liberrimus esset
cœli prospectus, ea exercuerunt. *Constantinopoli* olim fiebant ad
puteum sacrum Templi S. Sophiae, ubi velum tendebatur. Conzen. l. 7.
Pol. c. 22.

Tempus non omne poterat Judiciorum usibus destinari. Erant
nempè nefasti dies, quibus non licebat Prætori fari solenne
illud: DO. DICO. ADDICO. Hodiè liberum erit Judici, quo in-
terquiescere lites aut suscipi velit, tempore, modò cultui divino
sacrata Lux non infumatur his negotiis peragendis.

XXVII. Restat, ut de causis ad Judicem nostrum spectan-
tibus agamus nonnihil. Octo genera rerum sub controversi-
am revocandarum ponit Philosophus, quem numerum & minu-
ere alii & augere non dubitant, qui *Criminales* alias, alias *Ci-
viles* causas faciunt. Nos id præcipuè observandum puta-
mus, non debere sibi rapere partes Judicem ad quas non per-
tingit Eiusdem potestas. Ita de *Paribus Franciæ* cognoscere
& judicare queunt non nisi *Pares Franciæ*; In regno *Neapolita-
no* Comites & Barones in criminalibus non nisi per pares Cu-
riæ judicantur. In nostro Imperio ad Imperatorem solum per-
tinere jus cognoscendi de Imperii Feudis regalibus, ut sunt
Ducatus, Principatus, comitatus, similia, *ReinKingus* pro-
bat; quanquam sint qui defendant oppositam sententiam. Il-
lud certum est non posse propriæ causæ Judicem aliquem esse,
cum innatus cuivis sui amor sit, nec pessimam suam lubens
fateatur causam, licet sit. Quæ Patri cum Filio & vicissim
intercedunt judicia in censum eundem veniunt quibusdam
Ictorum; quibusdam secus videtur. Quos qui conciliare
vult, adire ipsos potest. Nos Colophonem ponimus hîc, red-
dimusq;

DE REBUS
AD FORUM
SUUM SPE-
CTANTI-
BUS.

Bodin. de
Rep. l. 6. c. 8.
Hottom. in
Franco-Gall.
c. 17.
ReinKing. de
reg. sec. &
Eccl. l. 4, 19, 2.
ibid.

DEO OMNIUM JUDICI JU-
STISSIMO GLO-
RIAM!



Ad doctissimum Dn. Respond.

GODOFREDUM ERICUM
BERLICHIIUM,


*Magna tum pietatis, tum diligentia Studio-
sum, meum per triennium fermè do-
mesticum, cum publicè disputa-
ret.*



On scendis cathedras, Ezlero Præ-
fide, nostras,
Enodasque pii judicis officium.
Hic labor egregio pariet sua gaudia patri,
Et Godofrede, tibi commoda mille
feret.

Michael Wendelerus P. P.

*Et p. t. Academiae
Rector.*




GENTIS BERLICHIAE decus novellum,
Virtutem æmule Nominis Paterni;
Cui quicquid grave, quicquid est politum,
Prima cura sedet; Tuæ juventæ
Si quando generosa prodis orsa,
Ostentas juvenis virile robur.

Acris

845
Acris ingenii, favente seculo.
Seu rostra eloquio premas Latino,
Orator bonus ac simul disertus;
Seu scandas Sophiæ sacram cathedram,
Victor hinc quoque lauream reportas.
Quam, me iudice, non minus meretur.
Qui de *Judiciis* agit peritè,
Quam qui *Judicis* administrat artem.

*Ita Dn. Respondenti in Patrias Gentilesque
Virtutes strenuè assurgenti ex anti-
tiqua formula gratulatur*

GOTTFRIED SCHNEIDER
J. U. D.



BERLICHIO SUO.

TE fulminare nuper ore facundo
Audivimus per rostra nostra, BERLICHII;
Nunc agere Judicem & docere, prudentem
Quæ *JUDICEM* deceant, videmus, audimus.
Benè Te! politioris artis assertor.
Solersque vindex, Patriæ Decus magnum!
Increfces sic in publici boni fructum.

Et



846
Et disce profutura, dum tandem,
JUDEX Viros inter sedebis illustres.

gratul. properante calamo

PRÆSES.

Judicis exqviris docto certamine partes,
BERLICH, magni spes animosa Patris.
Sic laudanda premis patriæ vestigia Centis;
Sic prodis partas cognitionis opes.
Ominor ex studiis: aditum sic sternis ad
Aulam,
Aut ad juridici munia summa Fori.
BERLICH, egregios, opto, felicitet ausus,
Detq;, feras studiis omnia puncta,
DEUS!

*Ita Politissimo & Doctissimo Dn. Re-
spondenti, Amico & contuber-
nali suavissimo gratu-
latur*

M. Daniel Pfützner /
Uratislaviâ-Silesius.

WITTENBERG, Diss., ERG. B. D.,
1. 1612/1667

ULB Halle

3

005 377 20X



nicht verbewerten

W 177

Wilb. Felger
Buchbinderei
Bismarckstr. 8



944

831
18

C E
COREA
E
EZLERO
,
it publicè
BERLICHIIUS,
M. D. C. L.
ditorio Phi-
FINCELII.

